

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvillii Ciceronis De Legibvs Librvm III. Commentarius Aldi Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



I N
M. TVLLII. CICERONIS
D E . L E G I B V S
L I B R V M . I I I .

Commentarius Aldi Mannuccij.



C I C E R O



SEQVAT igitur, ut institui, diuinum illum uirum, quem, quadam admiratione commotus, saepius fortasse laudo, quam necesse est. Att. Platonem uidelicet dicis. M. Istum ipsum, Attice. Att. Tu uero eum nec nimis ualde unquam, nec nimis saepe laudaueris. nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem nisi suum laudari uolunt, concedunt, ut eum arbitrato meo diligam. M. Bene hercle faciunt. quid enim est elegantia tua dignius? cuius & uita, & oratio consecuta mihi uidetur difficillimam illam societatem grauitatis cum humanitate. Att. Sane gaudeo, quod te interpellauit: quandoquidem tam praeclarum mihi dedisti iudicij tui testimonium. sed perge, ut coeperas. M. Laudemus igitur prius legem ipsam ueris, & proprijs generis sui laudibus. Att. Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti. M. Videtis igitur, magistratus hanc esse uim, ut praesit, praescribatque recta, & utilia, & coniuncta cum legibus. ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus: uereque dici potest, magistratum, legem esse loquentem; legem autem, mutum magistratum. nihil porro tam aptum est ad ius, condicionemque naturae, (quod cum dico, legem a me dici intelligi uolo) quam imperium: sine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum uniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. nam & hic deo paret, & huic oboediunt maria, terraeque, & homi-

num uita iussis supremae legis obtemperat. atque, ut ad haec ceteriora ueniam, & notiora nobis, omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. quod genus imperij primum ad homines iustissimos, & sapientissimos deferebatur. idque in rep. nostra maxime ualuit, quoad ei regalis potestas praesuit. deinde etiam deinceps posteris prodebat, quod & in ijs etiam, qui nunc regnant, manet. quibus autem regia potestas non placuit, non in nemini, sed non semper uni parere uoluerunt. nos autem, quoniam leges damus liberis populis; quaeque de optima rep. sentiremus, in sex libris ante diximus; accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, ciuitatis statum. Magistratibus igitur opus est, siue quorum prudentia, ac diligentia esse ciuitas non potest, quorumque descriptione omnis reip. moderatio continetur. neque solum ijs praescribendus est imperandi, sed etiam ciuibus obtemperandi modus. nam & qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: & qui modeste paret, uidetur, qui aliquando imperet, dignus esse. itaque oportet & eum, qui paret, sperare se aliquando imperaturum; & illum, qui imperat, cogitare breui tempore sibi esse parendum. nec uero solum ut obtemperent, oboediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant, diligantque, praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus. noster uero Plato Titanum e genere statuit eos, qui, ut illi caelestibus, sic hi aduersentur magistratibus. quae cum ita sint, ad ipsas iam leges ueniamus, si placet. Att. Mihi uero & istud, & ordo isterum placet.

EXPLA-

EXPLANATIO



EQVAR ꝛ imitabor. NOSTRI illi, ꝛ scilicet, Epicurei. ELEGANTIA tua ꝛ cultu uitae tuae. DIFFICILLIMAM ꝛ Hinc Cicero de Bruto, Quid enim, inquit, tam distans, quam a feueritate comitas? quis tamen umquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior? LEGEM ipsam ꝛ quam de magistratibus rogaturi sumus. VT praesit ꝛ Magistratus definitio. VT enim magistratibus, &c. ꝛ Cicero pro Cluentio: Legum ministri, magistratus: legum interpretes, iudices. Nec domus ulla &c. ꝛ Gradatim ascendit a familia ad mundum communem deorum, & hominum ciuitatem. CETERIORA ꝛ terris uiciniora.

REGIBVS ꝛ Arist. lib. I. Polit. και το πρώτον ε βασιλεύοντο αι πόλεις, και νυν ετι τα εθνη. AD IUSTISSIMOS ꝛ Cicero lib. I. de Offic. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis. MAGISTRATIBVS ꝛ Aristot. lib. VI. capit. 8. των αναγκαίων αρχών χωρίς αδύνατον ειναί την πόλιν. QUORVMQVE ꝛ Arist. lib. VI. Polit. cap. 8. των δε προς ευταξίαν, και κόσμον, αδύνατον, οίκεισθαι καλώς. CHARONDAS ꝛ Charondae uerba apud Stobaeum.

CICERO

M iusta imperia sunt, iusque ciues modeste, ac sine recusatione parento, magistratus nec oboediētē & noxium ciuē multa, uinculis, uerberibus ue coerceto: ni par, maior ue potestas, populus ue prohibesit, ad quos prouocatio esto. cum magistratus iudicafit, irrogassit ue, per populum multae poenae certatio esto. militiae ab eo, qui imperabit, prouocatio ne esto. quodq. is, qui bellum geret, imperassit, ius, ratumq. esto. minores magistratus, partiti iuris, plures in ple ra sunt. militiae quibus iussi erunt imperanto. aeri q. tribuni sunt. domi pecuniam publicam custodiunt. uincula fontium seruanto. capitalia uindicant. aes, argentum, aurum ue publice signant. lites cō tractas iudicant. quodcumque senatus creuerit, agunt. suntq. aediles curatores urbis, annonae, ludorūq. sollemnium. ollisq. ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto. Censores populi aeuitates, soboles, familias, pecuniasq. censent. urbis templa, uias, aquas, aerarium, uectigalia tuentur; populiq. partes in tribus distribuunt. ex in pecunias, aeuitates, ordines partiunt. equitum, peditumq. prolem describunt. caelibes esse prohibent. mores populi regunt. probum in senatu ne relinquunt. bini sunt. magistratum quinquennium habent. reliqui magistratus annui sunt. ea q. potestas semper esto. iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicari ue iubeat, praetor esto. is iuris ciuiliis custos esto. huic potestate pari, quocumque senatus creuerit, populus ue iussit, tot sunt. regio imperio duo sunt: i q. praeeundo, iudicando, consulendo, praetores, iudices, consules appellantor. militiae summum ius habent, nemini parento. ollis salus populi suprema lex esto. eundem magistratum, ni interfuerint X anni, ne quis capito, aenitātē annali lege seruātō. ast, quando duellum grauius, discordiae ciuium, est, ut ne amplius sex mēses, si senatus creuerit: idem iuris, quod duo consules, teneto: isq. ue sinistra dictus, populi magister esto. equitem cumque qui regat, habeto, pari iuri cum eo, quicūque erit iuris disceptator. ast, quando consulis est, magistratus ue populi, nec reliqui magistratus ne sunt; auspicia patrum sunt; olliq. ex se produnt, qui comitiatu creare consules rite possit. imperia, potestates,

legationes, cum senatus creuerit, populus ue iussit, ex urbe exeunt. duella iusta iuste gerunt. socijs partunt. se & seruos continent. populi sui gloriam augent. domum cum laude redeunt. rei suae ergo ne quis legatus esto. Plebes quos pro se, contra uim, auxiliū ergo, X creassit, tribuni eius sunt. quodq. i prohibesint, quodq. plebem rogassint, ratum esto. sanctiq. sunt: ne ue plebem orbam tribunis relinquunt. omnes magistratus auspiciū, iudiciumq. habent: ex quis senatus esto. eius decreta rata sunt. ast, ni potestas par maior ue prohibesit, S.C. perscripta seruanto: is ordo uitio uacato. ceteris specimen esto. creatio magistratum, iudicia populi, iussa, uerita cum licentur, suffragia optimatibus nota, plebi libera sunt. ast, quid erit, quod extra magistratus coaeratore usu sit, qui coeret, populus creato, eiq. ius coerandi dato. cum populo, patribusq. agendi ius esto, consuli, praetori, magistro populi equitumque, eique, quem produnt patres consulium rogandorum ergo: tribunisq. que, quos sibi plebes rogassit, ius esto cum patribus agendi. iudem ad plebem, quod censuerint, ferunt. quae cum populo, quaeq. in patribus aguntur, modica sunt. senatori qui nec aderit, aut caussa, aut culpa esto. loco senator, & modo orato: caussas populi teneto. ius in populo abesto. par, maior ue potestas plus ualero. ast, qui turbassit in agendo, fraus actoris esto. intercessor rei malae, salutaris ciuis esto. qui agent, auspicia seruanto. auguri parento. promulgata, proposita, in aeratio cognita, agunt. nec plus quam de singulis rebus consulunt. rem populū docent: doceri a magistratibus, priuatisq. patiunt. priuilegia ne irrogant. de capite ciuis nisi per maximū comitiatum, ollosque, quos censores in partibus populi locassint, ne ferunt. donum ne capiunt, ne ue danto, ne ue petenda, ne ue gerenda, ne ue gesta potestate, quod quis earum rerum migrassit, noxiae poena par esto. Censores fide legem custodiunt. priuati ad eos acta referunt. nec eo magis lege liberi sunt. Lex recitata est: disce rem, & tabellam inbebo dari.

EXPLANATIO

ISTA *imperia* id est, cum legibus iuncta. **MVLTAE** pecunia. **NI PAR &c.** non enim decet esse imperium sine prouocatione. **PROHIBESIT** id est, prohibuerit. **POENAE** Poenae uel, antiquus liber, non displicet. **CERTATIO** id est, disceptatio, populus enim suffragijs uel firmabat, uel abrogabat multam, quam magistratus dixisset. **PARTITI IURIS** cuiusmodi erant quaestores tribuni militum, & aerarij, qui non habebant ius uniuersum, siue non partitum, ut illi, qui cum imperio praesunt exercitui. **PLERA** id est, pleraque, ita Pacunius apud Festum in Teucro, & Priscianus lib. v. **AERARIQ. tribuni sunt.** Sic duo ueteres libri, placet. nam & auctoritatem habet antiquitas; & Aerarij, addi placet: ut aerarij tribuni distinguantur ab alijs tribunjs, nempe a tribunjs militum a tribunjs pl. Haec Paullus pater. **CAPITALIA uindictant.** de hoc magistratu sic Sallustius: In eum locum postquam demissus est Lentulus, uindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. & Cicero ad Trebatium, Treuiros uites censo: audio capitales esse, mallem auro, aere, argento essent. **CVRATORES** Cicero in Verrem: Nunc sum designatus aedilis. habeo rationem, quid a populo Rom. acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum caerimonia Cereri, Libero, Liberis, faciendos: mihi Floram matrem populi Rom. plebiq. Rom. ludorum celebritate placendam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione, Ioni, Iuoni, Mineruaeque esse faciendos: mihi sacrarum aedium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam. **POPULI aenitates** scilicet, aetatem militiae aptam, suffragijs ferendis, publicis muneribus, & ciuilibus obeundis. **SOBOLES &c.** Annotabant etiam prolem seruos, & censum, ut munia, & tributa pro facultatibus irrogarentur. **CAELIBES esse** Plato quoque pecunia multandum, & ignominia notandum censet, qui neglexit a tricesimo anno ad tricesimum quintum uxorem ducere. **PROBRVM &c.** probrosos senatores eieciabant a senatu. **SEMPER ESTO** cauet, ne intermittatur: censoria potestas. nam id saepe factum est. **TOT sunt** nam praetorum numerus certus non erat. **IQ. praeuendo** Festus, Praetoria, inquit, porta in castris appellatur, qua exercitus in proelium educitur: quia initio praetores erant, qui nunc consules, & ij bella administrabant, quorum tabernaculum quoque dicebatur praetorium. **ANNALI lege** cauebat enim, qua aetate quis honores peteret. **AVT. sinistra** Varro, Quod, quae sinistra sunt bona auspicia existimantur. Cicero. Quamquam non ignoro, quae bona sint sinistra nos dicere. **AST. quando consul is est, magistratus ue populi, nec reliqui magistratus ne sunt; auspicia patrum sunt;** Alij putant intelligi, neque consulari unquam imperio, neque dictatoris potestate magistratus reliquos tolli. mihi longe alia mens est. loquitur enim hic Cicero de comitijs consularibus, quae cum habere consul tantum possit, ut apud Gellium lib. x. tit. cap. 1. 4. Mellalla significat; uidetur significare Cicero, Si consul in rep. non sit, ei muneri interregem a patribus creatum, succedere oportere. id ita esse, quae subsequuntur uerba declarant: ollic. ex se produnto, qui comitiatu creare consules rite possit. Sed utinam, quam facile sententiam uidere, item uerba corrigere liceret. conemur tamen, quantum in nobis est: & primum antiquo libro, deinde etiam coniectura duce ueritatem inuestigamus. Habet igitur Sigonij scriptus liber: Ast, quando consul is est, magistratus ue populi nec Romani, reliqui magistratus ne sunt; auspicia patrum sunt. Ego suspicor scripsisse Ciceronem: Ast, quando consul is est, magistratus ue populi Rom. reliqui magistratus ne sunt; auspicia patrum sunt. Iisset, autem explano, Perijisset: primum, quod uti leniore uerbo, omnis causa, Cicero uoluerit: deinde, quod ab usu tamen Latinae linguae non recesserit. nam Lucretius, tum poeta ingeniosus, tum optimus Latinitatis auctor, idem uerbum ad eandem sententiam transtulit lib. vi.

Qui fuerant autem, praesto contagibus ibant. Graecetiam, *Οὐκ ἐπιβουλεύουσιν*, pro. Obijt, interdum dicunt, & *Ὁρξόβουερος*, mortuus. Magistratus autem populi Rom. praetor fuit, ea causa primum creatus, ut absentibus consulibus, populo Rom. ius diceret. itaque saepe praetor populi Rom. nominatur. Quod sequitur, Reliqui magistratus ne sunt, ualet: reliqui magistratus nihil iuris in auspicijs, quod quidem attinet ad creationem consulum, habent. nam, etsi, praeter consulem, & praetorem, reliqui omnes magistratus auspiciari poterant, creandis tamen consulibus auspicia habere non poterant. consul enim, & praetor, ut ait idem Mellalla, tantum a consule creabantur. ad reliquos autem magistratus centuriata comitia, id est ea, quibus & praetor, & consul creabantur, nihil attinebant. propterea interrex a patribus prodebat, qui consules crearet. Auspiciores autem patricios omnes magistratus fuisse participes, indicat illud in epistola ad M. Brutum, Dum unus erit auspicijs magistratus, auspicia ad patres redire non possent. Qui sunt, quaeret aliquis, praeter consulem, & praetorem, auspiciores participes magistratus? omnes reliqui, siue patricij, siue plebei: patricij quidem, a quo primum tempore sunt instituti; quod Liuius, & alij saepe testantur. plebei autem, non cum creati coepti sunt, sed aliquanto post, rerum paene omnium communionem plebe postulante. Patricij uero magistratus, praeter consulem, & praetorem, qui maiores magistratus dicebantur, duo tantum erant ordinarij, id est quotannis creati, aedilis curulis, & quaestor: item ordinarij quidem censor, non tamen quotannis creatus, sed quinquies quoque anno, nec annuo unquam magistratu, sed primum quinquenniali, post annuo, & semestri. atque is quoque inter maiores magistratus numerabatur. Dictator autem extraordinarius erat, periculosis reip. temporibus, extremi remedij gratia, dictus. Plebei magistratus, tribunus pl. aedilis pl. triumuir, & alij, annuo iure. Ergo, ut ad prima redeam consule, & praetore exstinctis, creati a patribus interregem Cicero iubet; & addit, Ex se, id est, e gente patricia. nec enim plebeia familia natus, licet senator esset, interrex fieri poterat, Cicerone, & Pediano testibus.

Patres

Patres autem hic non senatus uniuersus, sed patricij tantum senatores intelliguntur: ut in epistola ad Paetum Ad patres, cenfeo, reuertare. nam interregem, ut patricium, sic a patricijs tantum creari oportebat: ergo non a cuncto senatu: cum alij senatores patricij, alij plebeij essent. Verum, si praetor neque consulem, neque praetorem rogare poterat; quod Messalla tum ex perpetua maiorum consuetudine, tum ex Tuditani commentarijs probat: cur addit Cicero, Magistratus ue populi Romani? Quia poterat praetor consulare munus in rep. sustinere: unde illud in epistola ad Plancium: Litteras ad Cornutum, praetorem urbanum, detulimus: qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum. Quod si non solum consule, sed praetore etiam resp. careret, optimum Ciceroni uideretur, antequam annus exeat, interregem prodi, quod antea numquam ante exitum anni factum erat. Sin, mortuo consule, praetor superesset: indicat, non esse prodendum interregem, cum sit a quo resp. geratur, sed exitum anni expectandum, cum, resp. nullo magistratu capessente, interregem creari necesse esset: a quo centuriatis comitijs consules, & mox a consulibus praetores, ac reliqui deinceps magistratus fierent. Haec Paullus pater. CONTINENTIO & ne scilicet audeantur foros. PLEBES & ita antiquitus. sensus est, ut plebs creet decem tribunos: ad quos prouocationem habeatur aduersus uim consulum. SANCTIQ. sunt & id est, inuiolabiles. INDICIUM & prouocationem. Ast, ni potestas par, maior ue prohibesit, s. c. perscripta seruantio. & Praeclare corrigit hunc locum antiquus liber, hoc modo: Ast potestas par, maior ue prohibesit, perscripta seruantio. nam, Ast, significat, Asti, quod etiam eodem modo paullo post bis usurpatur. Deleui autem illud, S. C. eo fidentius, quod uideo hic non de senatus consultis, sed de senatus decretis, quibus intercederetur, intelligi: quae non Senatus consulta, sed Senatus auctoritates uocabantur. non enim omnia decreta, senatus consulta sunt, sed ea, quibus intercessum non est, aut quae legitimo die, loco, saluis denique legibus facta sunt, quod si uel intercessum esset, uel non legitimo senatorum numero, aut die, aut loco facta essent, Senatus auctoritates dicebantur: qua de re plenius in nostris Commentarijs epist. Fam. Hoc igitur dicit Cicero: Si senatus decretis intercesserit magistratus aliquis, par ei magistratui, aut maior, quo referente decretum fuerit; tunc ea decreta perscripta seruantio. Verbum autem, Decreta, iterandum non fuit, cum proximie dixisset, Eius decreta ratam sunt. Haec Paullus pater. SVFFRAGIA optimatibus nota & Hic ego, quod olim adolescentulus mutauit, neque nunc laudo, quia ueteribus in libris aliter uideo scriptum esse, sic, inquam, Cum suffragio consciscerentur, optimatibus nota; neque tamen, cur reprehendam, habeo; cum sententia satis apta sit ad id, de quo agitur; eaq. ab ipso Cicerone, suas leges interpretante, confirmetur. est enim infra sic: Proximum autem est de suffragijs: quae iubeo nota esse optimatibus. Haec Paullus pater. COERATORE oesus sit; qui coeret, populus creato, eiq. ius coerandi dato. & Ita legendum. Et paullo post: Ad plebem, quod oesus erit, seruntio: pro, Quod censuerint; quod est in uulgatis. Antiqui Coeratorem, pro Curatorem, & Coerare, pro, Curare dixerunt. Cicero i. ad Att. epist. Thermus est curator uiae Flaminiae. ROGANDORVM & rogatis suffragijs creandorum. CVM pa tribus agendi & referendi ad senatum. MODICA & modesta. LOCO & id est, ordine instituto. sic enim Tranquillus; Ac post nouam affinitatem Pompeium primum rogare sententiam coepit, cum Crassum soleret: essetq. consuetudo, ut quem ordinem interrogandi sententias eos. Kal. Ian. instituisset, eum toto anno conseruaret. VIS in populo abesto & nihil per uim agatur cum populo. PROPOSITA & & populus otiose possit eam cognoscere. IN aerario cognita, & Quis putet, In aerario, mendosum non esse: Interpret tamen, ut sincerum, & apertum, tacitus praeterijt. cui quia plurimum tribuo, ueritus interdum sum, ne sine causa de mendoso suspicarer. Sed profecto non inanis est nostra suspicio. non enim aut ita hoc potest coniungi, Proposita in aerario; aut hoc modo, In aerario cognita: nam neque, si quid agendum cum populo esset, proponebatur in aerario, neque cognoscebatur, proponebatur autem in foro, ut populus cognosceret. deinde agebatur: & populus de re iam cognita suffragium ferebat. Quare, nisi esset contra meum institutum aliquanto liberior coniectura, libenter legerem, Proposita in foro, cognita aguntio. uel sic etiam, Promulgata in foro, cognita aguntio. nam Promulgare, est proponere, quasi Prouulgare, ut ait Festus. Ut fortasse aliquis addiderit, Proposita, ut interpretaretur, Promulgata. NEC plus quam & c. & Cicero pro domo. Quae est alia uis, quae sententia Caeciliae legis, & Didiae, nisi haec, ne populo necesse sit in coniunctis rebus conpluribus, aut id quod uelit accipere, aut id quod uelit repudiare? PRIVILEGIA ne irroganto. & Cicero pro domo. Vetant leges sacrae, uetant XII. tabulae, leges priuatis hominibus irrogari: id est enim priuilegium. QVOD quis earum rerum migrassit & Video esse, qui legendum putent, Quo, pro, Quod, offensi opinor non satis uisitato genere loquendi: cum tamen eodem modo dixerit Cicero lib. I. I. de Fin. Qui id conseruaret, eum iustum; qui migraret, iniustum ferre. Et lib. I. de diuin. ubi legitur, Ne communi iure migrare uideatur, habent ueteres aliquot libri, Communia iura. Quasi, Migrare, ualeat, Mutare. Gellius quoque lib. I. I. cap. 29. Cassita, inquit, nidum migrat. Haec Paullus pater. LEX recitata est: & Legum rogationes imitatur Cicero. DISCEREM, & cum alloquatur duos, non placet magnopere, unitatis numero, DISCEREM: & quoniam mos hic erat apud Romanos, ut, lege recitata, discederent, magistratu ita iubente; deinde tabellis distributis, suffragia ferrentur: propterea non displiceret, Discede, pro, Disce rem. Pedianus morem illum significat his uerbis: His peractis, cum id solum superesset, ut populus sententiam ferat, iubet unumquemque is, qui legem fert, discedere. Haec Paullus pater.

C I C E R O

Quam breui frater, in conspectu posita est a te omnium magistratuum descriptio, sed ea pae ne nostrae ciuitatis: etsi a te paulum allatum est no ui. *M. Rectissime, Quinte*, animaueris. haec est enim, quam Scipio laudat in libris illis, & quam maxime probat, temperationem reip. quae effici non potuisset, nisi tali descriptione magistratum, nam sic habetote, magistratibus, ijs que, qui praesint, contineri reip. & ex eorum compositione, quod cuiusque reip. genus sit, intelligi. quae res cum sapientissime, moderatissimeq. constituta esset a maioribus nostris: nihil habui, sane non multum, quod putarem nouandum, in legibus. *Att.* Reddes igitur nobis, ut in religionis lege fecisti admonitum, & rogatu meo, sic de magistratibus, ut dispartes, quibus de causis maxime placeat ista descriptio. *M. Faciam Attice*, ut uis; & locum istum totum, ut a doctissimis Graeciae quaesitum, disputatumq. est, explicabo; & ut institui, nostra iura attingam. *Att.* Illud maxime expecto disferendi genus. *M.* Atqui pleraque sunt dicta in illis libris, quod faciendum fuit, cum de optima rep. quae reretur: sed huius loci de magistratibus, sunt propria quaedam a Theophrasto primum, deinde a Dio gene Stoico quaesita subtilius. *Att.* An tandem & etiam a Stoicis ista tractata sunt? *M.* Non sane, nisi ab eo, quem modo nominavi, & postea a magno homine, & in primis erudito, Panaetio. nam ueteres uerbo tenuis, acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem, atque ciuilem, de rep. diserebant. ab hac familia magis ista manarunt, Platone principe: post Aristoteles illustrauit omnem hunc ciuilem in disputando locum: Heraclidesq. Ponticus, profectus ab eodem Platone. Theophrastus uero, institutus ab Aristotele, abundauit, ut scitis, in genere rerum: ab eodemq. Aristotele doctus Dicaearchus, huic rationi, studioq. non defuit. post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum, otioq. non modo in solem, atque in puluerem, sed in ipsum discrimen, aciemq. produxit. Nam & mediocriter doctos, magnos in rep. uiros, & doctissimos homines, non minus in rep. uersatos, multos commemorare possumus: qui uero utraque re excelleret, ut & doctrinae studijs, & regenda ciuitate princeps esset, quis facile, praeter hunc, inueniri potest? *Att.* Puto posse, & quidem aliquem de tribus nobis, sed perge, ut coeperas. *M.* Quaesitum igitur ab illis est, placeret ne unum in ciuitate esse magistratum, cui

reliqui parerent: quod, exactis regibus, intelligo placuisse nostris maioribus: sed, quoniam regale ciuitatis genus probatum quondam, postea non tam regni, quam regis uirij repudiatum est; nomen tantum uidebitur regis repudiatum, res manebit, si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit. quare nec Ephori Lacedaemone sine causa a Theopompo oppositi regibus, nec apud nos consulibus tribuni. nam illud quidem ipsum, quod in iure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno, qui post exstitit, ne id, quod fuerat, esset. hoc enim primum minuit consulare ius, quod exstitit ipse, qui eo non teneretur: deinde, quod attulit auxilium reliquis non modo magistratibus, sed etiam priuatis consuli non parentibus. *Q.* Magnum dicis malum. nam ista potestate nata, grauitas optimatum cecidit, conualuitq. ius multitudinis. *M.* Non est ita, *Quinte*: non enim ius illud solum superbius populo, sed uiolentus uideri necesse erat, quo posteaquam modica, & sapiens temperatio accessit, conuersa lex in omnes est.

Multa desunt.

donum cum laude redeunto. nihil enim praeter laudem bonis, atque innocentibus, neque ex hostibus, neque a socijs reportandum. Iam illud apertum profecto est, nihil esse turpius, quam quemquam legari, nisi reip. causa omitto quemadmodum isti se gerant. atque gesserint, qui legatione hereditates, aut syngraphas suas persequuntur. in hominibus est hoc fortasse uitium. sed quaero, quid reapse sit turpius, quam sine procuratore senator, legatus sine mandatis, sine ullo reip. munere & quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatoris pertinere uideatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi leuissimus tribunus pl. tum intercessisset, sustulisset: minui tamen tempus: & quod erat infinitum, annum feci. ita turpitudine manet, diuturnitate sublata. sed iam, si placet, de prouincijs discedatur, in urbemq. redeatur. *Att.* Nobis uero placet: sed ijs, qui in prouincijs sunt, minime placet. *M.* At uero, *Tite*, si parebunt his legibus, nihil erit ijs urbe, nihil domo sua dulcius; nec laboriosius, molestiusq. prouincia.

EXPLANATIO

EA pae ne nam pauca immutauit Romanorum magistratuum. **I**N illis libris, quos de rep. Rom. conscripsit. **T**EMPERATIONEM, moderatam mixtionem ex summis, medijs, & infimis ordinibus. **Q**UOD cuiusque reip. sit, ut tyrannidem, monarchiam, oligarchiam, aristocratiam, democratiam. **N**OVANDUM, mutandum. **D**OCTISSIMIS, philosophis. **V**ERBO tenuis, nam fingeant rem. **A**B hac familia, Stoicorum. **P**LATONE principe, cuius dogma secuta est. **A**BUNDAVIT, ualde uersatus est. **E**X umbraculis eruditorum, nam Stoici ciuem nullum nisi sapientem putabant, & nullam ciuitatem nisi e sapientum coetu constantem. **I**N solem, atque in puluerem, ad agricolas. **S**ED in ipsum discrimen, in militiam. **I**NTELIGO placuisse, consules enim exactis regibus regium imperium habebant Romae. **T**HEOPOMPO, **V**ide de Arist.

Dd de Arist.

de Arist. lib. v. Polit. cap. xi. *NE id, quod fuerat, esset.* Ne regia potestas, quae urbe exacta est, maneret in consulibus. *AT TVLIT auxilium* Nam ad tribunal pl. saepe appellabant. aduersus uim consulum. *IVS multitudinis* Nam, ut inquit Sallustius, Cn. Pompeio, & M. Crasso cos. tribunicia potestate restituta est, homines adolescentes summam potestatem nacti, quibus aetas, animusq. ferox erat, coepere, fenatum circuminando, exagitare plebem. *TEMPERATIO* quae tribunicia potestate cos. opposita, acquisita est. *CONVERSA lex in omnes est.* omnes legibus teneri coeperunt. *IAM illud apertum est* Liberas reprehendit legationes, de quibus ita etiam in Rullum: Hereditatum obeundarum causa, quibus nos legationes dedistis, qui & priuati, & priuatum ad negotium exierunt non maximis opibus, neque summa auctoritate praediti, tamen auditis profecto, quam graues eorum aduentus socijs uestris esse soleant. *LEGARI* legatum mitti. *REAPSE* re ipsa. *DE prouincijs discedatur* nostra, inquit, oratio e prouincialibus magistratibus transeat ad Romanos. *HIS legibus* quae iubent, ne quis rei suae causa sit legatus.

C I C E R O

SED sequitur lex, quae sancit eam tribunorum pl. potestatem, quae in rep. nostra est, de qua differri nihil necesse est. *Q. At mehercule ego, frater, quae-ro de ista potestate quid sentias. nam mihi quidem pestifera uidetur, quippe quae in seditione, & ad seditionem nata sit. cuius primum ortum si recordari uolumus, inter arma ciuium, & occupatis, & obsessis urbis locis, procreata uidemus. deinde, cum esset cito legatus tamquam ex XII tabulis, insignis ad deformitatem puer, breui tempore creatus, multo quoque taetrius, & foedior natus est. quem enim ille non edidit? qui primum (ut impio dignum fuit) patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbauit, miscuit: cum afflisset principum grauitatem, numquam tamen conqueuit. atque, ut C. Flaminium, atque ea, quae iam prisca uidentur, propter uetustatem relinquam, quid iuris bonis uiris T. Gracchi tribunatus reliquit? & si, quinquennio ante, D. Brutum, & P. Scipionem consules, quos, & quantos uiros, homo omnium infimus, & sordidissimus tribunus pl. C. Curiatius in uincula coniecit: quod ante factum non erat. C. uero Gracchus ruinis, & ijs siccis, quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se ciues, non ne omnem reip. statum permutauit? quid iam de Saturnini supplicio, reliquisq. dicam? quos ne depellere quidem a se sine ferro potuit resp. cur autem aut uetera, aut aliena proferamus potius, quam & nostra, & recentia? quis unquam tam audax, tam inimicus nobis fuisset, ut cogitaret unquam de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribuniciam exacuisset in nos? quem cum homines scelerati, ac perditum non modo nulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentes sibi in tenebris reip. per turbandas putauerunt: quod nobis quidem egregium, & ad immortalitatem memoriae gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno. Sed ille quas strages edidit? eas uidelicet, quas sine ratione, ac sine ulla spe bona furor edere potuit impurae belluae multorum inflammatus furoribus. quamobrem in ista quidem re uehementer Sullam probo, qui tribunis pl. sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilij ferendi reliquerit: Pompeiumq. nostrum in ceteris rebus omnibus semper amplissimis, summisq. effero laudibus: de tribunicia potestate taceo, nec enim reprehendere libet, nec laudare possum. *M. P. ita quidem tribunatus praecclare, Quin-**

cto, perspicis: sed est iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis, malarum enumeratio, uitiorumq. selectio. nam isto quidem modo uel consulatus uituperabilis est, si consulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali: sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus. nimia potestas est tribunorum pl. quis negat? sed uis populi multo uehementior, multoq. saeuior; quae, ducem quod habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet. dux enim suo periculo progredi cogitat: populi impetus periculi rationem sui non habet. At aliquando incenditur. & quidem saepe sedatur. quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? quin perper ipsum Ti. Gracchum non solum? necnus, uerum etiam sublatus intercessor fuerat. quid enim illum aliud perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogauit? sed tu sapientiam maiorum in illo uide. concessa plebi a patribus ista potestate arma ceciderunt: restincta seditio est: inuentum est temperamentum, quo ueniores cum principibus aequari se putarint: in quo uno fuit ciuitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. & praeter eos, quamuis enumeres multos licet, cum deini crearentur: nullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos; leues etiam nunc, bonos fortasse plures. inuidia quidem summum ordo caret: plebs de suo iure periculosas contentiones nullas facit. quamobrem aut exigendi reges non fuerunt; aut plebi re, non uerbo, danda libertas: quae tamen sic data est, ut multis praecclarissimis addiceretur, ut auctoritati principum cederet. Nostra autem causa, quae, optime, & dulcissime frater, incidit in tribuniciam potestatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu. non enim plebs incitata nostris rebus inuidit: sed uincula soluta sunt, & seruitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. neque nobis cum illa tum peste certamen fuit, sed cum grauissimo reip. tempore: cui si non cessissem, non diuturnum beneficij mei patria fructum tulisset. atque hoc rei exitus indicauit: quis enim non modo liber, sed etiam seruus libertate dignus fuit, cui nostra salus cara non esset? quod si is casus fuisset rerum, quae pro salute reip. gestimus, ut non omnibus gratias esset: si nos multitudinis uis furentis, inflammata inuidia, pepulisset: si tribunus aliquis se in me populum, sicut Gracchus

in Laenatem, Saturninus in Metellum, incitasset : cere debent, quam clarissimi uiri, qui, illa urbe ferremus, o Quincte frater, consolarenturq. nos non pulsi, carere ingrata ciuitate, quam manere in im- tam philosophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc fa- proba, maluerunt.

EXPLANATIO

AD seditionem nata sit. & conualescente enim multitudinis iure effectum est, ut aliquando Romae maiores essent plebis, quam senatus opes. **C**VIUS & nimirum, tribunatus, quem inferius puero deformi comparat. **P**ROCREATAM uidemus & nam plebs, quae ob scelus Appij in Auentinum secesserat, reconciliari non potuit patribus, nisi interposita fide publica, & datis decem tribunis. **C**ITO legatus & Pro Cito legendum arbitror, Ita : & Legatus, id est ablegatus, amandatus, refero non ad uerbum, Potestatem, sed ad eius significationem, id est tribunatum pl. cuius uim fractam esse Quinctus ostendit, uel Graecorum nece, uel postea Sullae dictatoris lege. **T**AMQVAM ex XII. tabulis & c. & Alludit ad quoddam XII. tabularum caput, in quod insignitis pueris ageretur. **I**LLE non edidit & Tribunatum pl. intelligit. **P**ATRIEVS honorem eripuit & nam Caneleius tribunus pl. legem tulit de promiscuis patrum, plebisque nuptijs, quod XII. tabulis uetabatur. **P**RINCIPVM & id est, senatus. **C**. Flaminius & tribunum pl. qui de agro Gallico, & Piceno uiritim diuidendo tulit. **B**ONIS uiris & optimatibus senatoribus. **Q**VINQVENNIO ante & nimirum, ante tribunatum C. Flamini. **Q**UOD ante factum non erat. & Oratorie, quod ante perquam raro, uel fortasse etiam semel dumtaxat factum erat, id nunquam esse factum dixit. nam L. Lucullus, & A. Albinus, consules, cum delectum se uere nimis agerent, uacatione nemini concessa, in carcerem a tribunis pl. quia nihil pro amicis rogando impetrassent, coniecti sunt. id a Liuiio proditum, indicat epitome lib. XLIX. Haec Paullus pater. **S**TATIM permittit & nam ex legibus agrarijs, & frumentarijs, a C. Graccho latis, contentiones, & pugnae inter plebem, & optimates natae sunt. **N**ISI mucronem aliquem tribunicium & Clodium notat, qui ex genere patricio lege Curia nullo iure, uel pontificio, uel ciuili lata, contra leges in adoptionem se dedit C. Fonteio homini plebeio, & iuniori. ut esse posset tribunus pl. **G**ENTES perturbandas & iura gentilitatis, quas perturbauit Clodius. Gentilitas multas domos habet. **I**N tenebris reip. & in discrimine reip. **N**ISI cui & c. & nam Clodius contra leges effectus tribunus pl. M. Ciceronem in exulium egit, & domum eius, & uillas incendit. **S**VLLAM & Cornelium Sullam. **D**E tribunicia potestate & quam reuerfus ex Hispania, & cos. cum Crasso creatus plebi restituit. **R**EPREHENDERE libet & quia amicus. **P**RAETERMISSIS bonis, & quae malorum compensatione sunt aestimanda. **Q**UOD est quaesitum & pro publica salute. **I**NCENDITVR. & quasi inflammatus fuit in senatum. **Q**VIN per & per ipsum Ti. Gracchum non solum & necus, uerum etiam sublati intercessor fuerat. & Omnino uidetur hoc aduersus tribuniciam potestatem : itaque pronounciari a Cicerone miror, eam defendente. puto autem hoc totum reiiciendum ad Quincti sermonem, & post illa uerba collocandum, Quid iuris bonis uiris Ti. Gracchi tribunatus reliquit? & quia mendi quiddam superest, ita legendum arbitror : Quin per ipsum Ti. Gracchum non solum neglectus & c. Haec Paullus pater. **P**ERCVLT & Iulus Obsequens ait, obseruatum, Neminem, qui magistratum collegae abrogauisset, annum superuixisse. Ex his fuit Brutus, Ti. Gracchus, P. Tarquinius. **T**EMPERAMENTVM, & moderatio, concordia, quae seditionem omnem restinxit. **A**T duo Gracchi fuerunt, & praeter eos, quamuis enumeres multos licet, cum deni crearentur : nullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos, leues etiam nunc, bonos fortasse plures. & Inuitus dissentio a doctissimis hominibus : uerum, quando ipsis etiam ueritate prius esse nihil uideo, imitemur eorum exemplum, & studiosorum utilitati, quam fere spectamus unam, seruiamus. non enim hic mendi labe sententia deprauatur, sed ita fortasse uerborum tegitur inuolucro, ut aperienda uideatur. Refellit Marcus obiecta a Quincto contra tribuniciam potestatem. Gracchos, inquit, nominas, qui temp. iniquissimis rogationibus in tribunatu perturbarint, licet, praeter eos, quamuis multos Gracchis non dissimiles, id est, seditiosos, ac turbulentos, enumeres : id quod difficile non est cum deni non modo nunc, sed Gracchorum etiam aetate, atque adeo multis ante saeculis crearentur ; & ex tot collegijs, uel maximum non optime sententiarum tribunorum numerum liceat colligere. scrutare, inquam, uniuersam antiquitatem, replica memoria temporum, ex quo deni creati coepti sunt : neminem tamen reperies perniciosum, leues quidem hodie quoque, bonos fortasse plures. non enim Gracchos, aut Saturninum, aut Flaminius, aut Curiatium, quos nominasti, aut quemlibet de multis, qui numerari possunt, perniciosos patriae fuisse concedo. uexauerint temp. incommodis etiam aliquot affecerint : perniciem certe, quamuis improbus, & seditiosus, nemo attulit. nec enim sine plebis ope exitiosus esse quisquam potest : at ea (quod proxime subiungitur) de suo iure periculosas contentiones non facit, principum cedit auctoritati. non enim plebs incitata nostris rebus inuidit : sed uincula soluta sunt, & seruitia incitata, adiuncto etiam terrore militari. quod si plebs ipsa contra temp. non pugnat : (id enim perspicue Cicero significat) quid relinquatur uel perditissimis tribunis, ut perniciosi esse possint? Puto igitur, correctione locum non egere. nam, si pro, Nullos, legatur, Non nullos; Quincti sententia defendetur ; cum eam studeat Marcus infirmare. Quid enim aliud Quinctus opposuerat, quam, perniciosos fuisse non nullos? praeterea, cum ad Latinae linguae consuetudinem intueor, probabilius uideatur, Nullos in omni memoria reperies, quam, Nonnullos. Crearentur autem, inquit, quod prisca etiam tempora, quibus item deni creabantur, animo reperere Quinctum uelit. Haec Paullus pater. **C**VM tribunatu & numquam enim Cicero plebis libertatem oppugnauit, quam tribuni tueri debent. **V**INCULA & carcerati. **S**ERUITIA & serui. **T**ERRORE militari & gladiatoribus, atque exercitu Caesaris, qui ad urbis portas

Dd 2 erat.

erat. ILLA peste? Clodium intelligit. GRAVISSIMO reip. tempore: & cum omnia commoueri uiderentur. SIOVT Gracchus in Laenatem, & C. Gracchus in exulium egit P. Popillium Laenatem, quia praetor Ti. Gracchi amicos in exulium egisset. SATURNINVS in Metellum & cum legem agrariam Appuleius Saturninus per uim tulisset, diem dixit Metello Numidico, qui in eam iurare noluerat, & in exulium egit. Hoc facere debent, & cum philosophiae, se dederint, ita scribere, & ita uiuere debuerunt. ILLA urbe pulsi? ut Aristides, & Themistocles.

C I C E R O

POMPEIUM uero quod una ista in re non ita ualde probas, uix satis mihi illud uideris attendere, non solum ei, quid esset optimum, uidentum fuisse, sed etiam quid necessarium. sensit enim debere non posse huic ciuitati illam potestatem: quippe quam tantopere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? sapientis autem cuius fuit, causam nec perniciosam, & ita popularem, ut non posset obsisti, nisi perniciose, populari cui non relinquere. Scis solere, frater, in huiusmodi sermone, ut transiliri alio possit, dici admodum. Att. Prorsus est ita. Q. Haud equidem assentior: tu tamen ad reliqua pergas uelim. M. Perseueras tu quidem, & in tua uetere sententia permanes. Q. Nunc mebercule. Att. Ego sane a Quinto nostro dissentio: sed ea, quae restant, audiamus. M. Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia, & iudicia dantur: iudicia, ut esset populi potestas, ad quam prouocaretur: auspicia, ut multos inuitiles comitiatus probabiles impedirent moras: saepe enim populi impetum iniustum auspicijs diu immortales represserunt. Ex ijs autem, qui magistratum coeperunt, quod senatus efficitur: populare est sane, neminem in summum locum, nisi per populum, uenire, sublata cooptatione censoria: sed praesto est huius uitij temperatio, quod senatus lege nostra confirmatur auctoritas: sequitur enim. Eius decreta rata sunt. nam ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilij, quodque is creuerit, defendant omnes, & si ordines reliqui principis ordinis consilio reimp. gubernari uelint; possit ex temperatione iuris, cum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus, & concors ciuitatis status; praeserim si proximae legi parebitur. nam proximum est. Is ordo uitio careo. Q. Praeclara uero, frater, ista lex: sed & late patet, ut uitio careat ordo, & censorum quaerat interpretem. Att. Ille uero, etsi est totus tuus ordo, gratissimamque memoriam retinet consilij tui, pace tua dixerim, non modo censes, sed etiam indices omnes potestati defatigare. M. Omitte ista, Attice: non enim de hoc senatu, nec his de hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris, si qui forte his legibus parere uoluerint, haec habetur oratio. nam, cum omni uitio carere lex iubeat, ne ueniet quidem in eum ordinem unquam uitij parti-

iceps. id autem difficile factum est, nisi educatione quadam, & disciplina: de qua dicemus aliquid fortasse, si quid fuerit loci, aut temporis. Att. Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem legum: tempus uero largitur longitudo diei. ego autem, etiam si praeterieris, repetam a te istum de educatione, & de disciplina locum. M. Tu uero & istum, Attice, & si quem alium. Ceteris specimen esto. quod si est, tenemus omnia. ut enim cupiditatibus principum, & uitij infici solet tota ciuitas, sic emendari, & corrigi continentia. uir magnus, & nobis omnibus amicus, L. Lucullus efferebatur, quasi commodissime respondisset, cum esset obiecta magnificentia uillae Tusculanae, duos se habere uicinos, superiorem equitem R. inferiorem libertinum: quorum cum essent magnificae uillae, concedi sibi oportere, quod ijs, qui tenuioris ordinis essent, liceret non uides, Luculle, a te id ipsum natum, ut illi cuperent? quibus, id si tu non faceres, non liceret. quis enim ferret istos, cum uideret eorum uillas signis, & tabulis referas, partim publicis, partim etiam sacris, & religiosis? quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, eisdem tenerentur? nec enim tantum mali est peccare principes, (quamquam est magnum hoc per se malum) quantum illud, quod permulti etiam imitatores principum existunt. nam licet uidere, si uelis replicare memoriam temporum, qualescumque summi ciuitatis uiri fuerint, talem ciuitatem fuisse; quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eandem in populo secutam. idque haud paullo est uerius, quam quod Platoni nostro placet, qui, musicorum cantibus, ait, mutatis, mutari ciuitatum status: ego autem, nobilium uita, uictusque mutato, mores mutari ciuitatum puo. quo perniciosus de re. merentur uitiosi principes, quod non solum uitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem; neque solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato, nocent. Atque haec lex, dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest. pauci enim, atque admodum pauci, honore, & gloria amplificati, uel corrumpere mores ciuitatis, uel corrigere possunt. Sed haec & nunc satis, & in illis libris tractata sunt diligentius. quare ad reliqua ueniamus.

EXPLANATIO

DEBERI & differri tamquam solutionem. NISI perniciose? Additum est a nobis, Nisi, ex antiquo libro; qua de causa, ita constat, ut explicandum non sit. Haec Paullus pater. IN huiusmodi sermone? In dialogis. DICI admodum? assensum praestari. UT esset populi potestas? id est, magistratus, ad quem laeti confugerent. COMITATVS & conuentus populi. non enim nisi auspiciato haberi possunt. POPULARE est? id est,

id est, beneficium populi efficitur. In *sumum locum* in ordinem senatorium. *Nisi per populum* nisi per eos magistratus, quos populus mandat. *SUBLATA &c.* aut enim iure gesti magistratus, aut lecti a censoribus in senatum ibant. quam cooptationem lege Cicero tollit, & ex magistratibus tantum efficit senatum. *CONSULTVS tui* quo ordinis illius potentiam defendisti. *POTEST defatigare* quia numquam uitio careat. *Nisi educatione &c.* neque enim sine educatione, & disciplina fructus est ullus bonarum legum. *LIBERTINVM*: Libertini dicebantur non tantum qui ex iusta seruitute fuerant manumissi, sed etiam ex his ingenue procreati. *SIGNIS, & tabulis* statuis, & picturis. *Nec enim* Arist. Polit. lib. I. cap. 9. Ὅτι δ' ἂν ὑπολάβῃ τίμιον εἶναι τὸ κύριον, ἀνάγκη καὶ τὴν τῶν ἄλλων πολιτῶν δοῦσαν ἀκολουθεῖν τοῦτοῖς. *PLATONI nostro* lib. I. V. de rep. *EGO autem nobilium &c.* Arist. lib. V. Polit. cap. IV. *CONCIPIVNT* quasi parituri. *ILLIS libris* qui de rep. conscripti sunt.

C I C E R O

PROXIMVM est autem de suffragiis: quae iubeo nota esse optimatibus, populo libera. Att. Ita me hercule attendi, nec satis intellexi, quid sibi lex, aut quid verba ista uellent. M. Dicam, Attice, & uerfabor in re difficili, ac multum, & saepe atque sita: suffragia in magistratu mandando, aut de reo iudicando aut in lege, aut rogatione sciscenda, clam an palam ferre melius esset. Att. An etiam id dubium est? Q. Vereor ne a te rursus dissentiam. M. Non facies, Quinte: nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis uoce melius: sed, obtineri an possit, uidendum est. Q. Frater, bona tua uenia dixerim, ista sententia maxime & fallit imperitos, & obest saepissime reip. cum aliquid uerum, & rectum esse dicitur. sed obtineri, id est obfisti posse populo, negatur. primum enim obfistitur, cum agitur seuerere: deinde, ui opprimi in bona causa est melius, quam male cedere. quis autem non sentit, omnem optimatum auctoritatem tabellariam legem abstulisse? quam populus liber numquam desiderauit, idem oppressus dominatu, ac potentia principum flagitauit. itaque grauiora iudicia de potentissimis hominibus exstant uocis, quam tabellae. quam obrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua, bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella uitiosum occultaret suffragium. itaque isti rationi neque lator quisquam est inuentus, nec auctor umquam bonus. sunt enim quattuor leges tabellariae: quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto, & sordido. secuta biennio post Cassia est, de populi iudicio. ea a nobili homine lata L. Cassio, sed (pace familiae dixerim) dissidente a bonis, atque omnes rumusclos populari ratione aucupante. Carbonis est tertia, de iubendis legibus, ac uetandis, seditiosi, atque improbi ciuis; cui ne reditus quidem ad bonos, salutem a bonis potuit asferre. Vno in genere relinqui uidebatur uocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. dedit huic quoque iudicio Coelius tabellam; doluit q. quoad uixit, se, ut opprimeret. C. Popillium, nocuisse etiam reip. & auus quidem noster singulari uirtute in hoc municipio, quoad uixit,

restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, auiam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam. excitabat enim fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius: quos post filius eius in Aegaeo excitauit mari, ac nostro quidem, qui cum res esset ad se delata, Scaurus eos. Vtinam, inquit, M. Cicero, isto animo, atque uirtute in summa rep. nobiscum uersari, quam in municipali, maluisses. quam obrem, quoniam non recognoscimus nunc leges populi R. sed aut repetimus ereptas, aut nouas scribimus; non quid hoc populo obtineri possit, sed, quid optimum sit, tibi dicendum puto. nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet: quo auctore lata esse dicitur: tu si tabellariam tuleris, ipse praestabis. nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum e uultu eius intelligo. Att. Mihi uero nihil umquam populare placuit: eamq. optimam remp. esse duco, quam hic consul constituerat, quae sit in potestate optimorum. M. Vos quidem, ut uideo, legem antiquastis sine tabella: sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen libertatem istam largior populo, ut & auctoritate ualeant, & utantur bonis. sic enim a me recitata lex est de suffragiis, optimatibus nota, plebi libera sunt. quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tollat, quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium; ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet. pontes etiam lex c. Maria fecit angustos: quae si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere; non reprehendo: sin ualuerint tantum leges, ut, ne sint ambitus; habeat sane populus tabellam, quasi iudicem libertatis: dummodo haec optimo cuique, & grauissimo ciui ostendatur, ultroq. offeratur; ut in eo sit ipso libertas, in qua populo potestas honeste bonis gratificandi datur. eoq. nunc fiet illud, quod a te modo, Quinte, dictum est, ut minus multos tabella condemnet, quam solebat uox: quia populo licere satis est. hoc retento, reliqua uoluntas auctoritati, aut gratiae traditur. itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non uides, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragiis, quid optimi uiri sentiunt? quam obrem lege nostra libertatis species datur, honorum auctoritas retinetur, contentionis causa tollitur.

EXPLANATIO

SED populo libera? Libera sunt, quando non uoce, sed tabella feruntur. **LEGE, aut rogatione**? Lex est populi Rom. constitutio senatorio ordine, ut consule rogante. Rogatio uero, est eiusdem populi Rom. constitutio

stitutio plebeio magistratu, ut tribuno interrogante. CLAM, *an palam* ? per tabellam, an per uocem. OB-
TINERI *an possit* ? Populus enim per tabellam liberiore animo sententiam ferebat, quam uoce, cum opti-
mum auctoritati refragari non auderet. Cicero pro Plancio. Populo grata est tabella, quae frontes operit,
hominum mentes tegit, datq. eam libertatem, ut quod uelint faciant. Hinc in Rullum: Sed tamen magni-
ficentius, atque ornatus esse illo nihil potest, quod meis comitijs non tabellam indicem tacitae libertatis, sed
uocem uiuam prae uobis indicem nostrarum erga me uoluntatum, ac studiorum tulistis. GABINIA ? quae
tabellam dabat dumtaxat in creandis magistratibus. CASSIA ? qua cautum erat, ut populus, cum iudicaret,
nisi in perduellionis crimine, tabella sententiam ferret. CARBONIS ? quae legum latiori, & abrogationi ta-
bulam dedit. CUI *ne reditus* & c. ? quia, etsi cum bonis sentite coepit, quod in lib. de Amicitia constat: ac-
cusatus est tamen a L. Crasso, & condemnatus. Cicero in Bruto In primo de Orat. In epist. ad Paetam. PER-
DUELLIONIS ? hostilitatis aduersus remp. uel principem. sic in Postumi causa ad atrocitatem facti occiso
sacro sancto tribuno, iudicium perduellionis fuit, ut est apud Liuium. C. Popillium, ? de quo Cicero pro
Cornelio Balbo. C. Popillium in exsiliium actus Nuceriae ciuem se dicauit. FLETVS ? Fluctus, recte putat es-
se legendum Hieronymus Ferrarius, uir pereruditus. Est autem sensus: Faciebat Gratidius Arpini, quod
post Romae filius eius Marius fecit. hoc autem translatis uerbis eleganter expressit. Sic deinde & in anti-
quo libro scriptum esse, significauit mihi per litteras homo singularis ingenij, summaeq. doctrinae Hanni-
bal Cruceius. Haec Paullus pater. IN *simpulo*, ? Simpulum, auctore Felto, uas paruum est, non dissimile
cyatho, quo uinum in sacrificijs libabatur: unde & mulieres rebus diuinis deditae Simpulatrices uocantur.
Varro inquit, Veteres res minutas nulliusq. pretij Simpularias appellabant. IN *Aegeo mari*, ? In re amplifi-
sima. nam Aegeum in mediterraneo mari uastissimum est. hinc illud Horatij, Aegeum nauita fecet mare.
AC *nostro quidem, qui cum* ? Si relatiuum, Qui, tollatur, mendi nihil supererit. non enim assentior ijs, qui
illud, AC nostrum quidem, cum antecedenti membro connectunt: ex quo inepta plane, atque insulsa fieret sen-
tentia. Noster autem, sine substantiuo, interdum ueteres usurpabant, ut Terent. in Phorm. Noster, quid
ageret, nescire: & Cicero in epist. Fam. Quod nostra tibi gratias agit. Haec Paullus pater. NOSTRO ? scilicet,
aucto. MUNICIPALIS ? In Arpinati rep. RECOGNOSIMVS ? recensemus, enumeramus. SCIPIO *tuis* ?
qui in tuis de rep. libris loquitur. QVAM *hic consul constituerat* ? Ita Cicero ad Att. lib. 1. Reip. statum il-
lum, quem tu meo consilio, ego diuino confirmatum putabam, qui bonorum omnium consensione, & aucto-
ritate consulatus mei fixus, & fundatus uidebatur, nisi quis nos deus respexerit, elapsium scito esse de manibus
uno hoc iudicio. SINE *tabella* ? ne populus tabella ferat suffragia. OPTIMATIBVS *nota sunt* ? incipiantur
a senatu. POSTEA ? post leges tabellarias. VINDICEM *libertatis* ? per quam possit libere ferre suffra-
gia. IN *qua*, ? Malim, In quo. LICERE ? habere ius libere dampnandi tabella. QVAERI *in suffragijs*, ? in
comitijs quaeri a rogatore, aut praecone, LIBERTATIS *species* ? assimilatio libertatis, non libertas uera,
cum suffragia ostendere bonis cogatur.

C I C E R O

SEQUITVR, quibus ius sit cum populo agendi, aut
cum senatu: deinde grauis, & ut arbitror, prae-
clara lex. Quae cum populo, quaeq. in patribus
agentur, modica sunt: id est, modesta, atque sedata.
actor enim moderatur, & fingit non modo men-
tem, ac uoluntates, sed paene uultus eorum, apud
quos agit: quod in senatu non difficile est: est enim
senatoris, cuius non ad actorem referatur animus,
sed qui per se ipse spectari uelit. huic iussa tria sunt:
ut adsit: nam grauitatem res habet, cum frequens
ordo est: ut loco dicat, id est, rogatus: ut modo; ne
sit infinitus. nam breuitas non modo senatoris, sed
etiam oratoris magna laus est in sententia. nec est
umquam longa oratione utendum, nisi aut expectan-
te senatu, quod sit ambitione saepissime; cum, nullo
magistratu adiuuante, tolli diem utile est: aut cum
tanta causa est, ut opus sit oratoris copia uel ad bor-
tandum, uel ad docendum. quorum generum in utro-
que magnus noster Cato est. Quodq. addit, Caus-
sas populi teneto: est senatori necessarium nosse rep.
idq. late patet, quid habeat militum, quid ualeat
aerario, quos socios habeat, quos amicos, quos stipen-
diarios, qua quisque sit lege, condicione, foedere: re-
nere consuetudinem decernendi, nosse exempla ma-
iorum. uidetis iam, genus hoc omne, scientiae, dili-
gentiae, memoriae esse: sine quo paratus esse senator

nullo pacto potest. Deinceps sunt cum populo actio-
nes: in quibus primum, & maximum, Vis abesto.
nihil est enim exitiosius ciuitatibus, nihil tam con-
trarium iuri, & legibus, nihil minus ciuile, & hu-
manum, quam composita, & constituta rep. quidquam
agi per uim. Parere iubet intercessoris: quo nihil prae-
stantius impediri enim bonam rem melius, quam con-
cedi malam. Quod uero actoris iubeo esse fraudem,
id totum dixi ex Crassi, sapientissimi hominis, sen-
tentia: quam senatus est secutus; cum decreuisset,
C. Claudio consule de Cn. Carbonis seditione res-
trente, inuito eo, qui cum populo ageret, seditionem
non posse fieri: quippe cui liceat concilium, simul
atque turbare coeptum sit, dimittere. quod qui
permanet, cum agi nihil potest, uim quaerit: cuius
impunitatem amittit hac lege. Sequitur illud: In-
tercessor reimalae, salutaris ciuis esto. quis non stu-
diosè reip. subuenerit, hac tam praeclara legis uoce
laudatus? Snt deinde posita deinceps quae habemus
et in publicis institutis, ac legibus: auspicia seruato,
auguri parato. est autem boni auguris, meminisse, ma-
ximis reip. temporibus praesto esse debere, Ioui q.
opt. max. se consiliarium, atque administrum datum,
& sibi eos, quos in auspicio esse iusserit, caeliq. par-
tes sibi definitas esse traditas: e quibus saepe reip.
ferre opem possit. Deinde de promulgatione, de in-
gulis

gulis rebus agendis, de priuatis, magistratibus ue audiendis. Tum leges praeclarissimae de x i i tabulis translatae duae: quarum altera priuilegia tollit; altera de capite ciuis rogari, nisi maximo comitiatu, uetat. nondum in iuris seditiosis tribunis pl. ne rogacialis quidem, admirandum, tantum maiores in posterum prouidisse. in priuatos homines leges ferri noluerunt: id est enim priuilegium: quo quid est iniuriosius? cum legis haec uis sit, scitum, et iussum in omnes. ferri de singulis, nisi centuriatis comitijs, noluerunt: descriptus enim populus censu, ordinibus, aetate, plus addibet ad suffragium consilij, quam fuisse in tribus conuocatus. quo uerius in causa nostra uir magni ingenij, summaque prudentia L. Cor

ta dicebat, nihil omnino actum esse de nobis: praeter enim quam quod comitia illa essent armis gesta seruilibus, praeterea neque tributa capitis comitia rata esse posse, neque ulla priuilegia: quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus. sed uisum est et uobis, et clarissimis uiris, melius, de quo serui, et latrones scuisse se aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam, quid sentiret, ostendere. Sequuntur de ui, de captis pecunijs, et de ambitu leges. quae cum magis iudicij, quam uerbis, sancienda sint, adiungitur, Noxtiae poena par esto, ut in suo uitio quisque plectatur, uis capite, auaritia multa, bonoris cupiditas ignominia sanciat ur.

EXPLANATIO

ET fingit et fortasse melius, Effingit. QVOD in senatu non difficile est: abundare, Non, indicant ea, quae sequuntur. CUIVS non ad actorem & c. et cuius animus habitum, & affectum sumat ex dicentis ore, sed ex sua prudentia existimari uult. EXPECTANTE senatu? Alij, Spectante senatu; ex ingenio, an ex ueteribus libris, ignoro. abest certe ab ijs libris, quos ego uidi. nec satis possum intelligere, si, Spectante, legatur, quid sententiae sit. at, Expectante, sumptum est ex Hannibalis Cruceij libro: nec est obscura sententia. nam Oratione, inquit, longa tum est utendum, cum expectat senatus, ut, mala re relata, dies dicendo tollatur; ne scilicet perniciosum reip. senatusconsultum fiat. Haec Paullus pater. MAGNVS et diffusus. NOSSA temp. et ut de ea sententia dicere possit. QVOS socios resp. habeat, et Sic omnes et impressi, et scripti libri, delere tamen dictionem, Resp. ut manifestum glossema, non dubitauit. Haec Paullus pater. CVM decreuisset et in sententia dixisset. DE C. Carbonis seditione et Cum ueteribus libris lego, De Cn. Carbonis. nam C. Claudius multo ante, quam consulatum gessit C. Claudius, obierat, accusatus a L. Craffo adolescentulo, ut in ep. 21. lib. 1. x. Fam. & de Orat. lib. 1. & 111. & in Bruto, & apud Tacitum in dialogo de Oratoribus. SIMVL atque intercessum, turbariq. coeptum sit et Melius, opinor, ut nos ex uetere libro correximus, Simul atque turbari coeptum sit. & in ipsa lege supra recitata, intercessionis nulla mentio. Haec Paullus pater. QVOD qui permanet, et Sic ueteres libri, & rectius, opinor, quam, Permoet: quod antea legebatur. Qui permanet, ait, in concione, cum uidet, commota seditione, nihil a se agi posse; uim quaerere uidetur. alioqui concilium dimitteret. Haec Paullus pater. SALVTARIS et optimus. SUBVENERIT et nimirum, intercedendo. MAXIMIS et periculosis. ADMINISTRVM et interpretem. CAELI partes et scilicet anticam posticam dextram laeuam. OREM referre et Opem reip. ferre, coniecturam secutus, emendo. erroris origo, ut opinor, fuit, quod, in antiquis libris cum esset scriptum, R. P. ferre, pro, reip. ferre, ab imperitis immutatum est, & scriptum, Referre. Haec Paullus pater. DE promulgatione et scilicet, legum. DE singulis et cum populo. MAXIMO comitiatu et conuentu totius populi. NONDVM in iuris et antiquus liber, Nondum in iuris. utrumque mendosum. fortasse legendum, Nondum in iuris seditiosis tribunis plebis, nec alijs quidem, admirandum, &c. Nemo enim antea legem in priuatos homines tulerat. FVSE et absque ordine ex urbis & regionis partibus, quae tribus uocantur. NOBIS et ad reuocandum nos ab exilio. LEGIBVS. et secundum leges. SERUI, et latrones et In antiquis libris, Serui, atque patroni, & Serui, & patroni tui, legebatur: nos, Serui, & latrones, emendauimus: ut tamen, si quis melius attulerit, libenter eum secuturi simus. Haec Paullus pater. SEQUITVR de ui, de captis pecunijs, et de ambitu legis. et Adiuus a uetere scriptura, emendauit: Sequuntur de ui, de captis pecunijs, & de ambitu leges. tria enim capita, quorum unum ad uim, alterum ad captas pecunias, tertium ad ambitum pertineret, Leges appellat: ut paullo ante, cum dixit, Leges praeclarissimae de x i i tabulis translatae duae, quarum altera priuilegia tolli; altera de capite ciuis rogari, nisi maximo comitiatu uetat. Haec Paullus pater.

CICERO

EXTREMAE leges sunt non usitatae, reip. necessariae. legum custodiam nullam habemus. itaque hae leges sunt, quas apparitores nostri uolunt. a librarijs petimus: publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius, apud quos νομοφύλακες creantur. nec ij solum litteras, (nam id quidem etiam apud maiores nostros erat) sed etiam facta hominum obseruabant, ad legesq. reuocabant. haec detur cura Censoribus: quandoquidem eos in rep. semper uolumus esse. apud

eosdem, qui magistratu abierint, edant, et exponant, quid in magistratu gesserint: de quibus Censores praediciunt. hoc in Graecia fit, publice constitutis accusatoribus: qui quidem graues esse non possent, nisi sint uoluntarij. quocirca melius est, rationes referri, causamq. exponi censoribus, integram tamen legi, accusatori, iudicioq. seruari. Sed satis iam disputatum de magistratibus: nisi forte quid desideratis. Att. Si nos tacemus, locus ipse te non admonet, quid tibi sit deinde dicendum? M. Mihi ne de iudicij,

judicij, arbitror, Pomponi: id est enim iunctum magistratibus. Att. Quid de iure populi R. quem admodum instituisi, dicendum nihil putas? M. Quid tandem hoc loco est, quod requiras? Att. Ego ne quod ignorari ab ijs, qui in rep. uersantur, turpissimum puto. nam, ut modo a te dictum est, leges a librarjjs peti; sic animaduerto, plerosque in magistratibus, ignorantia iuris sui, tantum sapere, quantum apparitores uelint. quamobrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti, quoniam de religione leges proposueras; faciendum tibi est, ut, magistrati-

bus lege constitutis, de potestate, tum iure disserter. M. Faciam breuiter, si consequi potuero. nam pluribus uerbis scripsit ad patrem tuum M. Iunius sodalis, perite, meo quidem iudicio, & diligenter. At de iure naturae cogitare per nos, atque dicere debemus, de iure populi R. quae relicta sunt, & tradita. A. Sic profecto censeo; & id ipsum, quod dicis, exspecto.

Multa de sum.

EXPLANATIO

EXTREMAE leges scilicet, de censoribus. GRAECI Xenophon in Oeconomicis. Νομοφύλακες id est, legum custodes: De ijs sic Columella lib. xii. scribit, Quod etiam in bene moratis ciuitatibus semper est obseruatum, quarum primoribus, atque optimatibus non satis uisum est, bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos ciues creassent, quos Graeci νομοφύλακας appellant, horum erat officium, eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi, nec minus honoribus; eos autem, qui non parerent, poena multare. PRAEIVDICIENT scilicet notent ea, de quibus postea fiat iudicium, nam, ut inquit Cicero lib. iij. de rep. Censoris iudicium nihil fere damnato affert, praeter ruborem. VOLUNTARIJ Grauior est accusator uoluntarius, quam qui publice constitutus. LEGI qua iudicium constituitur. Quid tibi sit deinde dicendum; tamquam iunctum magistratibus. A librarjjs scilicet ut leges sint, quas librarj magistratum apparitores uelint, cum publice nulla earum custodia sit. QUANTVM apparitores a quibus discunt leges. M. LVNIVS Huius Commentarios citat Varro: Hoc modo inueni in M. Iunij commentarijs. COGITARE per nos, ex inchoatis intelligentijs.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

CICERO

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]





MEMORIAE
IACOBI. CRITONII



VEL mortuum enim Te laudari, par est, IACOBE. CRITONI, quem importuna mors nobis abripuit. Quis enim Te uiuum non admiratus est? Quis mortuum non luget? Ego quidem, Te uiuo, maximum iudicij mei fructum capiebam; mortuo, doloris modum non inuenio. Vixisses, Critoni, uixisses. neque umquam Te Virgilij Patria uidisset. Fato enim quodam nobis misero contigit, ut, quae ipsi ortum dedit, superiore anno, (cum nondum XXII. aetatis annum expleesses, gloriaeq. fatis, nobis minimum uixisses) Tibi ui uitam eriperet. Semper ego Tui memoriam colam. semper Tua imago ante oculos obuerfabitur. semper idem mihi eris; qui idem semper eris bonis omnibus. Faxit Deus, ut caelestia omnia Tibi felicia contingant; qui caelestia uiuens semper adamaris, & in eorum contemplatione totus uersatus sis. O diem funestum V. non. Quinct. Haec ad Te, ex hoc infelici ad illud caeleste domicilium, bona omnia precans, scribo.

Venetijs, IV. non. Nou. ∞ D XXCIII.

Qui Te uiuum coluit, mortuumq. obseruat,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.

Ee